

Der liber constructionis monasterii ad s. Blasium.

95

berg\*, quo etiam eiusdem portiuncula ligni devenerat, causam examinandi commisit<sup>1</sup>. Tum ille rei negotium tam sororibus, quam omnibus sibi subiectis commendavit, ut deum intente exorarent, quatenus rei veritatem revelare eis dignaretur. Deinde convocatis quibusdam reverendissimis presbyteris pluribusque aliis religionis amatoribus sub iudicio aquae frigidae comprobavit, certissime rei veritatem domino nostro Jesu Christo id omnibus operis indicium demonstrante, quod ipsum esset lignum, in quo verissime pependit orbis vita et pretium. Mox omnes, qui aderant cum admirabili quadam concordia et unanimi consensu in coelum laudes attolunt deumque magnificis praeconiis laudare contendunt.

21. [Marquardus de Esslingen]\*\* [1068—84.] Marquardus ordine diaconus de Esslingen\*\*\* in hoc loco monasticae se subdidit religioni. Huic vero id iniunctum est obedientiae, ut cellerarii adiutor esset in potus servatione. Cum autem quodam tempore de langwena † vinum effundere deberet, extractam habens depresso††, qua os langwenae munitum fuerat, sicut iam iamque potum effundere voluit, nuntius domini Giselberthi abbatis ad eum veniens citius ad eundem patrem ire praecepit. Tunc ille langwenam<sup>2</sup> de manibus ita dimittens, pergendo ad dominum abbatem, sine mora fuit obediens. Auscultato ab eodem patre, pro quo eum vocavit, festinanter ad cellarium rediens, langwenam decidisse reperit; de potu vero, quamvis esset aperta, nihil effudisse invenit. Quod ipse secum mirans et domino gratias agens quibusdam senioribus in claustro, in quibus ipse quasi familiaris confidebat, hoc secreto dicebat.

22. Habuit [fol. 11<sup>b</sup>] idem senior quemdam clericum, sibi consanguinitate propinquum. Qui dum Iherosolimam tenderet, in mare demersus, ita defunctus est. Pro quo ipse in orationibus suis frequenter domini misericordiam deprecans, in quadam nocte in ecclesia ante matutinos in genibus stans, pro eo vigiliam cantabat. Interim autem, dum hoc fecit, idem nepos illius in splendore coruscac lucis super eum veniens, ita ei apparuit. Ipse vero eisdem senioribus, quibus et anteriora retulit, et istud indicavit, adiungens haec, quia dum eandem visionem cerneret, in genibus, sicut antea

<sup>1</sup> comisit, Hf. <sup>2</sup> ad lang., Hf.

\* Sulzburg im Amt Mühlheim.

\*\* Auf dem Stamme von St. Herrgotts Hand.

\*\*\* Wahrscheinlich Dorf Esslingen, Amt Donaueschingen. Siehe unten Kap. 36.

† Für lagena, Du Cange führt languena auch als Form an.

†† depresso heißt bei Du Cange. Es ist von depso kneten abgeleitet und heißt der Stößel. Panis depresso heißt bei Dieffenbach Soffen.

stare non valens, ad terram praecipue stupore caderet. Alio quoque tempore, cum iterum nocturnis horis ante matutinos in choro stans contra principale altare, matutinos de sancta Maria cantare coepisset, sicut ipse postea eisdem, quibus superiora narravit, retulit, de eodem altari, in anteriori parte eiusdem altaris lucem in modum lunaris sperae<sup>1</sup> paulatim crescere vidit. Sicut enim ille matutinos in longius canendo protraxit, ita etiam eadem lux in maius crescendo se augmentavit. Et postquam matutinos finierat, ipsa etiam lux in modum plenae lunae excreverat. Tunc igitur in eadem luce viventem imaginem dei genitricis se testabatur vidisse\*.

23. Jam vero vitae eius termino appropinquante detentus est ab infirmitate, in qua iacens, quando sibi tempus videbatur, sacro infirmorum oleo se ungi precabatur. Quod et factum est. Deinde etiam videns, quae hora migrationis suae sibi appropinquavit, dare sibi dominicum corpus rogavit. Quod et accepit. In illa vero nocte, quae obitum ipsius antecedebat, post matutinos quidam seniores psalmodiam ante eum canebant. Ad quam, ut eiusdem psalmodiae cantoribus videbatur, eius intentio valde dirigebatur: nam si aliquis in ullo verbo offendit, prout ipse potuit, statim emendavit. Mane igitur facto, senioribus sicut moris est, ternas orationes facientibus, quidam, qui easdem orationes iam factas habebant, videre cupientes, quidnam faceret, ad eum veniebant.

Tunc ille [fol. 12<sup>a</sup>] in cilicio\*\* iacens, quemdam seniore, qui tunc sibi propius aderat, ita alloquens dicebat: „strepitus ille, qui hic factus est, valde me fatigatum habet.“ Ille vero, ad quem haec dixerat, sic respondens dicebat: „et quid fuit strepitus ille? at ipse ait: „nonne vos vidistis eum?“ Senior inquit: non. Ille indicat<sup>2</sup>, qui in primis huius loci fundator extitit, dominus scilicet Reginberthus, et qui in hoc loco abbates fuerunt. „Vidi, inquit, eos in magna gloria. Ex altera vero parte, et illi, inquit, qui istum locum confuderunt, nimis crudeliter et importune se ipsos tractantes, hic affuerunt. In horum omnium, inquit, conventu, quaecunque in loco hoc dicta, vel facta fuerant, tractata sunt, nec indiscussa remanebant.“

24. Innotuit etiam de duobus senioribus, qui aliquando de hoc monasterio incaute discesserant et iam

<sup>1</sup> für sphaera steht in Forcellini und Du Cange. <sup>2</sup> indicet, Hf.

\* Siehe die Zusätze.

\*\* Cilicium ist das Unterkleid aus grober Wolle. S. Du Cange s. v. cil. Oben S. 22 steht cilicium für silicium.